Foxii Postulatio ad Episcopatum Cracoviensem.

POSTVLATIO
ad Episcopatum Crac.

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,

D. IACOBI ZADZIK

Episcopi Culmeñ: R. Poloniæ Cancellarij,

A

IOANNE FOXIO, Archidiacono Crac. S. R. M. Secretario,

Varsauiæ die xviij. Aprilis, Anno 1635. dicta,

ET

SALVTATIO

Eiusdem Illustrissimi

Nomine V. CAPITVLI Crac.

Die 2. Febr. Anno 1636. in Ecclesia Cath. habita.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij.



POSTVLATIO
ILLVSTmi D. IACOBI ZADZIK ad Epiſcopatum Crac.

SAcrum Baſilicę Crac. Collegium, ILLVSTRISSIME Antiſtes, adeòque tota Diœceſis, multis calamitatibus afflicta, acerbum doloris ſenſum cumulauit, cùm in vnius luſtri ſpatio, tribus Præſulibus orbatam ſe vidit. Frequentes enim eorum, qui benè præſunt mutationes, nunquam ſalutares, ſæpè pernicioſæ acciderunt. Quid enim aliud eſt vigilans Epiſcopus? (vt præclarè dixit magnus ille Theologus) niſi ſcopulus quidam eminens, qui omnes errorum fluctus excipiat, confringat, & à populo Dei arceat, hæreticorum terror, cuſtos patriarum legum, omnis nouitatis hoſtis, ſacri Concilij apex, gladius vitiorum radices excindens, percutientibus adamas, veteris vitæ & doctrinæ exemplum. His tantis ad benè beatèque viuendum præſidijs orbantur, qui bonos rectores amittunt, quod nos interim, & antea ſæpe experti ſumus. Non paruum autem doloris noſtri leuamen ſentimus, quod tu Dei, ac Chriſti eius iudicio, ad hanc Eccleſiam Paſtor deſignaris, in qua cum bono omine

Præpoſiti munus geſſeris; nunc in eorum Præpoſitorum locum ſuccedes, quibus obedire, & ſubiacere iuſſit Apoſtolus. Quod dum tibi denuncio, duobus verbis rem exoluam. Sponſæ tibi deſignatæ laudatione, & tui ad eius regimen inuitatione. Non eſt mei propoſiti, neque huius temporis, virtutum tuarum laudes recenſere: ſuffecerit dixiſſe, de hac tua prouectione minimè poſſe dubitari; cùm tibi prior vita, per omnes laborum, & honorũ gradus, benè & laudabiliter acta, teſtimonium præbeat; ita vt meritò ad primariæ huius Eccleſiæ gubernacula voceris, cuius ego laudes delibabo.

Solenne eſt, ſponſas nouis ſponſis tradendas accurata oratione commendari: verùm quò magis ſponſa tua, per ſe ſatis eminet, & quò viciniorem regalibus ſceptris atque coronis ſedem diuinitùs nacta eſt, eò minori commendatione opus habet. Si enim externa, vtpote mundum, ornatumq; eius omnem, ſi dotale patrimonium, ſi gazam & fortunas ſpectes, nulli cedit. Quod ſi priores eius ſponſos, ſanguine nonnullos Regio coruſcantes, & purpuris ſacri Senatus reſplendentes aſpicias, haud ſcio, an ei altera poſsit comparari. At cùm omnis gloria filiæ Regis ſit ab intus, contuêre quæſo interiores eius opes & ornamenta. Eccleſia quippe & Diœceſis Crac. longè latèq; patens, ſalutis humanæ germinandæ ferax, dici poteſt vinea: in cuius culturâ cùm multi viri celeberrimi, tum Lam-

bertus

bertus, Prandota, Gedeon, Sbigneus, Tomicius, & quod hisce oculis conspexi, Radziuilus plurimum laborarunt; quam S. Stanislaus, pro iustitia, & Dei honore certans, sanguine suo irrigauit: cuius maceriam S. Florianus, & Hyacinthus Crac. Canonicus, reliquijs suis, velut muro quodam aheneo cinxerunt: ex qua prægrandes & nectareos racemos virtutum, & meritorum B. Cantij, Simonis, Cunegundis, Salomeæ, siue ad vitæ exempla, siue ad superna auxilia, quotidie decerpimus, ita vt de hac vinea illud dici posit: Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius talia, Cedros Dei.

Basilica verò ipsa, in qua ne vno quidem momento, à laudibus Dei fit cessatio, quantam laudem meretur? Habet enim illa octo Collegia inferiorũ sacerdotum, de laudibus & amore Dei certantium, ac infinitam Diuinæ bonitatis potentiam, Hymnis, Psalmis, ac Canticis spiritualibus, die nocteq; celebrantium.

Quod cùm honor Regis, & Rectoris sit in multitudine populi, vbi quæso numerosiores Christi greges? vbi pascentium maior copia sacerdotum? Ornant eã non paucę Patrum infulę: adornant plurima religiosorũ Sodalitia: Virginum quidem Deo dicatarum numerum, cùm vetera monasteria capere non posint, noua multis in locis excitantur. Ex his omnibus habetis adiutores, siue ad verbi ministerium, siue ad sacrorum administrationem, siue ad orationum quibus ira Dei placatur instantiam. At quantum illi parit decus

cus

cus lucida illa gemma Academia, inquam Iagellonia? de qua vel vnum illud dixero, quod feſſa licet & grauis annis, tamen in ſenecta vberi, vtiles Patriæ ciues, idoneos Eccleſię miniſtros, neceſſarios curę animarum ſacerdotes, non Diœceſi ſolùm, ſed & toti Regno affatim ſuppeditat. Sed quorſum hæ laudes omnibus ferè cognitæ? Nollem certè in ventum ſparſas, qui cuperem eſſe fructuoſas. Voti mei Illuſtriſſ: Pręſul me compotē reddes, ſi vineæ illę electæ, indefeſſam quod certò mihi polliceor, quò magis refloreſcat, culturam adhibeas; ſi aſsiduos illos Eccleſiæ tuæ miniſtros, qui cibum vti dicitur ex flamma petunt, micis de Tuâ menſa cadentibus reficias: Si tantæ ouium multitudini paſcendæ, Moyſis exemplo conſiliarios & adiutores, quos tu noſti, quod ſint ſenes, plures etiam adſciſcas. Impoſsibile enim eſt, tot myriades animarum, ſine multorum oculis, & manibus rectè poſſe gubernari. Si denique Academiam illam vnam, Noſtram & Tuam quoque matrem vnicè ames, Amabis autem, ſi eius ſaluti & renouationi, qui honores ipſius in manu habes, proſpicias. Iſte ſanè laudum mearum fructus erit longè vberrimus.

Altera officij mei breuior pars eſt, vt denunciem Te, ad regimen adeò nobilis ſponſæ, non ſolùm concordi noſtrum omnium voto, ſed magno etiam applauſu poſtulari. Quàm id congruat, antiquis moribus & temporibus, quibus hoc munus non poſtulabant Epiſcopi, ſed

pi, ſed ipſi poſtulabantur: ita vt penè inuiti ad Cathedras traherentur; dicat Sanctus Gregorius, Ambroſi- & D. Chryſoſtomus. Sed quid cauſæ? cùm Epiſcopatum vti bonum opus deſiderari poſſe ſciamus? Nouerant enim probè munus Epiſcopi, arctis obligationibus, & plurimis difficultatibus vndiq; eſſe ſeptũ, quod expertus idem D. Chryſoſtomus, memorabili ſententia expreſsit. Difficultates omnes Epiſcoporũ recenſere, nihil aliud eſt, quàm altitudinẽ maris, velle emetiri.

Patere tamen quæſo me aliquot difficultates ſponſę Tuæ, vt præuiſæ minus pungant, vel ſaltim attingere. Non paruum illi periculum imminet ab illis, qui omnia quæcunq; ignorant, blaſphemant, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, in aſtutia hominum, ad circumuentionem erroris. Magnum quoque illi faceſſunt negotium, multi operarij iniquitatis. Siue ad Clerum, ſiue ad populum oculos conuertas, qui ſi interdum caſtigantur, fruſtra, quod Deus ipſe dolet, percutiuntur, diſciplinam enim pacis non recipiunt. Erit, vt noſti, illud Angelicum, Tuum quoq; officium, vt colligas de regno Dei omnia ſcandala, ſiue quæ ſanam doctrinam, ſiue quæ vitæ Chriſtianæ innocentiam corrumpunt. Sed vellicant aurem meam magnæ cateruæ inopum, & clamores pauperum, qui partim rapinis militum, partim nouis & ad nutum cuiuſque potentioris indies excogitatis angarijs & exactionibus ita ſunt grauati, adeò afflicti, vt præ anguſtia Spiritus

gemen

gementes, vitam morte, amariorem viuant. Expectat omnis populus gemens, à Patre benigno consolationem, à Pastore vigilanti protectionem, ab aduocato post Christum vnico, patrocinium. Quare cùm hac Tua sponsa Illustriss: Præsul, omnia quæ habet charissima fidei Tuæ committit, ac noxias, & anxias suas curas Tibi aperit: illud vnum restat, vt Tu quoq; ad spiritualis fœderis nexum, ac vtriusq; fortunæ communionem, assensum Tuum, à summa sede approbandum, præbeas, ac his oneribus & laboribus animum, & humeros submittas. Non ego Te vt vides Illustriss: Antistes, inani & aures tantum mulcente verborum lenocinio, sed rebus ipsis pascere volui. Sponsam namq; tuam his monilibus ornatam, his malis Tua prudentia medendis expositam, ipse comperies.

Numini supplicamus, quò sospes & in columis suo diuino honori, Ecclesiæ comodo, nostrum omnium instructioni, diutissimè viuas, ac ouili Tuo numeroso, aduentum Tuum præstolanti, Te Pastorem semper ei profuturum, quàm primùm repræsentes.

SALV-

SALVTATIO
ILLVST^{mi} D. IACOBI ZADZIK
Epiſcopi Cracouienſis.
Pro Venerab. Capitulo in Eccl: Cathedr. Die 2. Febr. 1636.

CEleberrimum aduentum, tuum Illuſtriſsime PRÆSVL, hac vna luce, tertia gratulatione publica decet adornari. Florens Academiæ cætus, militum Chriſti Ducem, ſub vexillo S. Floriani excepit. Primores Ciuitatis, in æde Magnæ Matris,& Virginis, quæ ciuitas Dei eſt, conſalutârunt. Nunquid cuſtodes ſponſæ tuæ tacebunt? quam Tibi ad hanc aram glorioſi Patroni noſtri S. Staniſlai, ſine ſolenni oratione, tradi fas non eſt. Video quidem me hunc ſermonem fatigatis auribus promere; eas tamen hæc feſtiua adeò recreat lætitia, vt nouo Paſtori auſpicatum ſuſcepti regiminis exordiũ, auſpicatiſsimũ progreſsũ iteratis vicibus iubeat cõprecari.

Enimuerò, cum omne regimen laude dignum, autoritate & amore conſtet, ac ad optatum feratur finem; confidimus, quod his geminis autoritatis & amoris, dequibus mihi ſermo, ſubnixus alis, præſtitutam bonis Paſtoribus ſalutis ouium metam, continges.

Si enim autoritas, vtique eſt firma quædam ac diuturna de præſtantibus alicuius viri virtutibus hominum exiſtimatio; quis quæſo de autoritate eius addubitarit, cui pro laboribus plurimis, pro moribus caſtis, pro actibus ſtrenuis, huius ſublimioris loci præmium debebatur? Laudatur

nautica lex illa præclara, quæ gubernationi primùm remos cõmittit; deinde ad proram collocat, sicq; post diuturnam maris verberatione, ac ventorũ directioné ad gubernacula constituit. Hac lege seruata Tu Illustriss: Antistes, in minoribus primò laboribus, velut ad remos positus, deinde grauioribus Reipub. & Ecclesiæ negotijs, velut ad proram admotus, atque varijs turbulentium temporum procellis, quâ cautè declinandis, quâ prudenter sedandis, quâ fortiter ferendis, eruditus; magnam Tibi apud omnes virtutis & doctrinæ famam, atq; existimationem,& quæ inde nascitur autoritatem comparasti; ita vt ad gubernacula huius primariæ Ecclesiæ, ab eo qui te inuitauit, meritò ascendere iubearis: habesq; in manu bonæ administrationis, primum hoc efficax sane autoritatis instrumentum; quo vt incolumis diu vtaris, omnes velle, & optare debemus.

Porrò cùm autoritas & amor maximã inter se cognationem habeant,ac par sit vtriusq; potestas,vt in hoc onere Pastorali, hac quoq; altera amoris ala subleueris, liceat mihi suggerere, ac obnixe petere, vt huic tuę sponsę (quam tibi tradimus)donum nuptiale,vas auri solidum ornatum,omni lapide precioso offeras, hoc est cor tuum perfectæ charitatis Dei radijs illustratum, ac zelo salutis animarum accensum. Nullum enim, D. Gregorio teste, ita Deo acceptum sacrificium offerri potest, sicut zelus animarum, quod vel illa sacra exempla comprobârint. Quis enim est ille Antistes, cui statuit Dominus pactum prosperitatis & pacis, & Principem fecit illum, vt in domo eius perpetua maneret Sacerdotij dignitas? Ille sanè tertius in gloria Phinees. Sed

cur tan-

cur tanta donatus prærogatiua? eò quod zelatus ſit pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſraël.

Quid dicam de illo Propheta, qui ſurrexit quaſi ignis, cuius ſermo vt facula ardebat, quam ob cauſam in turbine ignis, in curru equorum igneorum in cælum receptus eſt? ob eam potiſsimum, quod ardentem eius zelum terra capere, & digne remunerari non potuit. Sed hæc ſunt vetera. Proferam ex theſauro Eccleſiæ, & noua. Cur obſecro illi Angelo Laodiceæ, in oculis ſuis diuiti & nullius indigo, ſed coram Deo pauperi, miſero, adeòque nudo, aurum ignitum Spiritus Dei, à ſe ipſo emere ſuadet? vt profectò exemplo eius, cuilibet Antiſtiti oſtenderet; quod ſi tepidus in officio ſuo eſſet, ac igneo zeli auro careret; quàm in magno ſalutis diſcrimine verſaretur. Præclara ſunt iſta zeli Deo grati teſtimonia. Quare ego, PRÆSVL Ampliſsime orationem meam ad te conuerto.

Credo in votis tibi eſſe, vt ad normam, Saluatoris ſponſam, hanc Eccleſiã tuam, non habentem maculam neq; rugam illi exhibeas, hoc nonniſi ardentis eius amoris imitatione, conſequeris. Fuit enim quondam hæc ſponſa tua, Diœceſis inquam vniuerſa ſatis glorioſa, cum ipſi Reges nutricij eius eſſent, ac quæ Dei ſunt, ſine vllo monitore Deo redderentur. At hoc tempore, quod cùm Propheta deplorandum eſt; Sacerdotes eius gementes, & ipſa oppreſſa amaritudine. Non deſunt ſponſæ tuæ maculæ, multorum enormium, quæ palam etiam impunè perpetrantur flagitiorum & ſcelerum. Videbis in ea rugas deformes ſeu abuſus, in ſacrorum adminiſtratione, in verbi

Dei

Dei prædicatione, in neglectu diuinorũ officiorum, in posthabito cultu Templorum & altarium Dei, quę omnia venustatem sponsę huius valdè deturpant. Multo labore sudandum erit, vt exeat ab ea nimia rubigo eius, quæ olim apud Prophetam non exiuit, neque per ignem. Si tamen hunc ignem ardentis zeli, ignem planè cæleſtem adhibueris; gloriam ei priſtinam reſtitueris, maculas abſterſeris, rugas omnes expollíueris. Ac vt breuiter concludam. Desideras Illuſtriſſ: PRÆSVL, non solùm expurgare, sed quod maius Præsulis munus eſt, etiam ædificare domum Dei? En tibi sapiens ille architectus, porrigit & hoc alterum boni regiminis inſtrumentum, duobus illis verbis cõmendatũ: Charitas ædificat. Deus ipse qui Charitas eſt, in hac difficili architectura spirituali, sit tecum, & tecum laboret; vt scias quàm sit coram eo acceptus zelus animarum omni tempore.

Ille ipse, qui te elegit Sacerdotem sibi fidelem, ædificet tibi domum fidelem, & fideles suos habitare faciat vnius moris in domo; vt in hac magna domo, in quâ sunt vasa quædam in honorem, quædam in contumeliam; illa plurima, hæc pauciora in dies reperias; quatenus Diœcesim hanc amplam, autoritate disciplinę omni labe mundatam, charitatis feruore, veris virtutum gemmis, vti Sponsam ornatam, cælesti Sponso in aduentum ipsius consignes. Hos sublimes Paſtoralis curæ fructus, Paſtori suo, in multos annos nobilis hæc corona Sacerdotũ apprecatur, quos, ac vnâ omnem Clerum, vt in sinum paterni amoris recipias, ac eâ quâ polles autoritate tueâris, enixè poſtulamus.